DE HAEMATURIA DISSERTATIO INAUGURALIS MEDICA QUAM AD...

Giuseppe medico Pasetti (medico)

DE

HAEMATURIA

DISSERTATIO INAUGURALIS MEDICA

QUAM

AD CONSEQUENDUM

Medicinae doctoris gradum

IN CELEBERRIMA AC ANTIQUISSIMA

UNIVERSITATE PATAVINA

proponit

PASETTI JOSEPH

BRIXIENSIS EX RIVOLTELLAE

PATAVII

TYPIS PENADA

MDCCCXXXX.

AGLI

AMATISSIMI E CARISSIMI GENITORI

CHE

CON PATERNO ZELO E CONSIGLIO

SORREGGEANMI NELLA LUNGA CARRIERA

QUESTO PRIMO SAGGIO

RICONOSCENTE

CONSACRO

37v

DENOMINATIO ET DEFINITIO.

Mictus cruentus, mictus sanguinis, Haematuria, Haemouresis, Haemorrhagia urethrae, Stymatosis, Urethrorrhagia.

Nominibus hisce illa ecrisium species designatur, sub qua sanguis, nunc merus, nunc urina aut moco remixtus, nunc fluidus rubens, nunc grumosus ater ex viis urinalibus excernitur.

DIFFERENTIAE AB ALIO STATU ABNORMI.

Dantur casus, in quibus urina aliis saepe ex causis colorem flammeum aut obscuriorem inducere potest, quo sanguinis praesentiam mentitur, ut igitur medici plurimum intersit, causas novisse, quae huic symptomati subesse possunt. In febribus inflammatoriis urina plerumque flammea apparet, in febribus putridis vero, in hydrope, febri biliosa, ictero, colorem obscuriorem fe-

re nigricantem offert, sanguini admixto non absimilem.

Usus vegetabilium quorundam, Fructuum Rubi Idaei, Cacti opuntiae, Rhabarbari vinorum rubrorum, balsami peruviani, Rubiae tinctorum urinae colorem saepe plus minus rubescentem tribuit; usus vero Natri, Corticis Chinae, uvae ursi urinam claram emissam post aliquod tempus violaceam reddit. Ut igitur ille, qui ad causas hasce rite animadvertit, non tam facile in errorem ducatur.

Sunt praeterea criteria quaedam sanguinis in urina emissa praesentiam enunciantia. Haec scilicet turbida mittitur, linteamentum immissum colore rubro tingens, sedimentum mox emittit crassum nigro-rubrum, calore aquae bullientis floccos ex lympha coagulata deponens, quum urina sanguinem admixtum solummodo mentiens, plerumque sat pura emissa, quiete sedimentum contrahit calore resolvendum, et in fluido suspendendum.

DIVISIO.

Haematuria sub vario respectu varie dividitur, et quidem quoad characterem in activam et passivam, aut cum synocha et paralysi secundum *Haase*.

Profluvium activum, hypersthenicum ant eum synocha dicendum erit, ubi sanguinis vis vitalis per causas excitautes adaugetur ita, ut cruor, sicut ex aliis partibus, ita ex viarum urinalium vasis egrediatur, vel ubi sanguis morbosa secretione effusus, ex his organis phlogosi correptis, aut ob varias causas stimulantes cruoris copia inundatis, secedit, sicut in hominibus sanguine abundantibus, bene nutritis, aut naturali, et habituali sanguinis per alias vias excernendi evacuatione destitutis.

In casibus longe plurimis tamen mictus cruentus characterem passivum asthenicum sive paralyticum praesefert; ubi silicet sanguis ex fracto vasorum in dictis organis vigore, et ex diuturnis impedimentis, humorum circulo oppositis, expellitur. Produnt hunc characterem: constitutio aegri laxa, magna virium debilitas, pulsus parvus, debilis, sanguis excretus coloris atri, resolutus, putridus, color cutis luridus in plumbeum vergens.

Alia illius divisio, medico practico summi momenti, ab organo desumitur, ex quo sanguis fluit, quum silicet vel ex renibus, vel uretheribus, vel vesica, vel urethra venire potest, ut igitur respectu loci sit:

1. Haematuria renalis, 2. Uretherica, 3. Vesicae, 4. Urethrae. Quum vero cuilibet harum

specierum sua sint symptomata propria, haec singularum exponuntur.

DIAGNOSIS.

Haematuriam renum prodroma saepe praecedunt: dolores ad renes lancinantes, vehementes, spasmi in hac ipsa regione, crurum immobilitas paralytica, testiculi retracti, stranguria, ischuria et renum inflammationis symptomata omnia, aut puris ex suppuratione per vias urinales excretio. Sanguis urina intime mixtus, clarus emittitur, sedimentum solummodo in illis casibus deponens, ubi sanguinis quantitas magna excernitur. Si sanguis in vesica coagulatur symptomatibus enumeratis illa quoque accedunt, quae lithiasim concomitantur.

Sub haematuria urethrum dolores sentiuntur secundum horum decursum, quorum sedem aeger saepe assignare valet, et sanguis parva quantitate secedit. Diagnosis tamen non adeo facilis est, quum et sanguis e renibus fluens in uretheribus staguare et dolores dictos producere valet. Haec mictus cruenti species rarissima est, quae ut plurimum urolithis e renibus pulsis, et uretheres laedentibus producitur.

Observati quoque sunt casus, in quibus sanguis vel e renibus fluens, vel ex ipsis uretheri-

bus originem ducens, in his ipsis coagulatus, et in massas cylindricas concretus, vel vermiculorum forma excretus est, vel vero intimo parte urina abluta, canaliculi egressi sunt, quod symptoma vermes renales aut vesicales vocarunt. Sub hac tamen sanguinis coagulati in uretheribus accumulatione hi ipsi ad triplum saepe sui diametrum extenduntur.

Mictus cruenti vesicae symptomata prodroma sunt: caloris et pressionis sensus in regione vesicae, cum sensu urente, dolor in perineo cum priapismo et anxietate, excretio muci; saepe tamen sanguis sine ullo symptomate praecedente fluit. Urina excernitur cum sanguine mixta nigro, aut fluido, aut coagulato, qui floccos saepe formans mox ad fundum vasis secedit; et sedimentum nigricans spissius format, in rarioribus tamen casibus sanguis merus excernitur. Si tamen sanguinis coagula in vesica majores massas formant, collum vesicae occluditur, et urinae excretio impeditur, quae in vesica, uretheribus et renum pelvi accumulata symptomata saepe provocat, haematuriam renalem mentientia, quod etiam ex urolithis provocari potest.

Sub urethrorrhagia sive stymatosi sanguis merus excernitur cum urina non mixtos, sine sensu aegri molesto, et sine nisu ad mictum. Dolor sedem suam habet in urethra ad certam

regionem, quae si premitur sanguinem profusius funditur. Potest tamen sanguis cum urina emissa ex urethra ablui. Sanguinis quantitas plerumque parca est; qui vel guttatim fluit, vel, quod rarius accidit, filo continuo. Hisce, et eo, quod omnia alius speciei indicia adsint, ab omni illa haematuriae specie facile distinguitur. Si stymatosis oritur ex anomalia haemorrhoidum, aut menstruorum, prodroma saepe praecedunt: tensionis sensus in regione inguinali, et lumbali, dolores urentes, ardor, varices, caloris sensus in urethra, erectiones, priapismus, et ipsa saepe chorda, in casu hocce fluxus sanguinis saepe periodicus est. Si blennorrhoeam urethrae comitatur stymatosis, mucus excretus vel solummodo striis sanguinis tingitur, vel vero, quod tamen rarius accidit, sanguinis sat magna quantitas fluit. Potest quoque sanguis ex vesiculis seminalibus venire: tum hic cum spermate evacuatur, aut post illud cum ejaculatione, quod illis accidere solet, qui venere abusi sunt. Si vero prostata, aut ductus deferentes et excretorii vesicularum seminalium sanguinem fundunt, diagnosis difficilior erit, nec medicus aliud habebit criterium, nisi morbos praegressos aut adhuc praesentes.

AETIOLOGIA.

Inter momenta aetiologica dispositio propria praecipue respici meretur: debilitas et laxitas vasorum viarium urinalium, quae vel adnata vel adquisita, leviori causa morbum ciet.

Haec dispositionis species in provectioribus praecipue frequens observatur. Sub majori dispositionis gradu leviori solummodo causa occasionalis requiritur, ut morbus provocetur. Inter has praecipue adnotari merentur concrementa urinae, quae aut habitu suo magis inaequali partes laedunt, aut mole majori organa, per quae feruntur, nimis extendunt, morbique nostri symptomata cum illis lithiaseos jungunt. Motus vehementior aut activus aut passivus, sublevatio ponderis gravis, veneris exercitium immoderatum, injuriae mechanicae per pressionem aut percussionem regionis lumbaris, aut cystotomia tot causas sistunt, hunc morbum excitantes.

Magna proclivitas feminas quoque premit obesas sub annis climactericis, si vitam vivunt, magis lautam, et potus aromaticos amant, adhuc major vero viros haemorrhoidarios, qui hisce causa quacumque suppressis, secretione vicaria in haematuriam incidunt. Nec casus desunt febris inflammatoriae hocce concomitatae sym-

ptomate, crisim hinc inde decernente. In febribus adynamicis putridis, typho, scorbuto symptomata hocce non adeo rarum. Dantur quoque pharmaca, quae hunc morbum provocasse visa sunt, uti diuretica largiori manu porrecta, asparagus, caepa, allium, therebinthina, cantharides, balsama nativa, aloë, aphrodisiaca, et ipsa aqua lauro cerasi Infantes sub dentitionis periodo saepe sine malo subsequo haematuria corripiuntur: et a medicis practicis morbus epidemice grassans observatus fuit. Organisatio abnormis, scirrhi, cancer, vermes, suppuratio vel in renibus, vel in sua vesicum quoque ad hunc morbum excitandum conferunt. Stymatosis ex blennorrhoea urethrae, catheteris minus apta applicatione, corporis peregrini in urethram impulsione originem ducere potest.

PROGNOSIS.

Haec variat secundum causarum excitantium varietatem. Prae ceteris character haematuriae activus majorem sanationis verisimilitudinem pollicetur, ut in febribus inflammatoriis, vel erethicis, ubi etiam licet rarioribus in casibus critica visa est: in febribus vero adynamicis, putridis, typho, exanthematibus malignis, malum omen sistit, quum majoris humorum resolutionis, et in-

stantis paralyseos signum est. Plus sperat in haematuria medicus motu corporis nimio, potu spirituoso, aromatibus producta: timet illam ex lithiasi, scyrrho, cancro, ulceribus, materiae organicae desorganisatione prodeuntem. Actus quoque magnum exerit influxum, quum in hominibus aetate provectioribus signum sistat systematis vasorum relaxationem enuntians: et humores ipsos resolutos. Sanguinis quantitas, quae excernitur, suum quoque habet influxum, quum ejusdem profluvium parcum periculum minus, profusum vero saepe maximum minetur, hoc enim sequuntur humorum nobiliorum defectus, eorumque resolutio, virium prostratio, tabes, febris hectica, hydrops.

Haematuriam ex mensibus suppressis aut haemorrhoidum aberratione non adeo timens, nec illam, quae diureticis lenioribus producta est, minime eam, quae dentitionem infantium comitatur. Malum omen sistit haematuria jam saepius praegressa. Quod tamen maxime timendum est, sistunt sanguinis coagula aut in renibus, aut in uretheribus, aut vesica detenta, et vias hasce occludentia; dolores enim vehementissimi, spasmi et ischuria saepe lethalis hoc symptoma sequuntur; nec negari potest, coagulum sanguinis in viis hisce retentum lithiasi subsequae ansam praebere posse. Minus timenda, quam formae

praegressae stymatosis est, quamcumque agnoscat causam, nec secessus muci cruenti sub blennorrhoea urethrae syphilitica aliud testatur, quam ulcerum ibidem praesentiam, quo tamen symptomate morbus ipse saepe mitigatur.

EXITUS.

Quoad exitum morbus aut sanatur, aut in alios transit morbos, vel vero morte terminatur.

In sanitate abit haematuria si characterem magis activum agnoscit, haec enim ex natura sua in sanitatem abit, si recens, ex causis lenioribus, facile amovendis, producta, ex vicaria congestione orta, si deest dispositio haereditaria, nec adsunt dictarum partium desorganisationes, si sanguis emissus neque copia excedit, nec frequentia nimia, et aegri vires nondum multum debilitatae sunt.

In alios morbos transit dispositione magna jam antea praesente, methodo perversa in auxilium vocata, duratione morbi protracta, jactura sanguinis tanta, ut restitui brevi nullo possit modo. Explicantur tum febris depascens, hydropis variae species, mictus impedimenta varia, dysuria, stranguria, lithiasis, quibus pro tempore adfectiones nervorum variae accedunt.

In mortem abit haematuria, quae morbos co-

mitatur non sanabiles, ubi symptoma morbi primarii magis sistit, sicut in morbis adynamicis, typho, febri putrida, in quibus morbi deleterii effectus malos solummodo expedit. Lenta mors inducitur si sanguis non adeo profusa quantitate, copia minori saepius repetita evacuatur, quae organismi vires paullatim exhaurit, principio enim vitali paullatim deficiente, vires magis magisque labuntur, functiones omnes energia sua privantur, donec pabulo vitae plasticae et animalis consumpto, circulus silet, et aeger laetheis sopitur undis.

THERAPIA.

In curatione hujus morbi gravissimi indicatio generalis eo tendit, ut:

1. Causae occasionales inquirantur, et si agere continuant, removeantur, aut si removeri nequeunt, saltem, quantum fieri potest, mitigentur, et imminuantur.

2. Morbus ipse secundum characterem suum tractetur, et sub hoc respectu profluvium sanguinis hypersthenicum aut erethisticum moderetur; nimia vero sanguinis jactura, in vasorum debilitate majori radicata, arceatur, cruor effusus ac coagulatus in vesica modo miti evacuetur. Quum tamen causae occasionales, aut hunc, aut illum haematuriae modum excitantes, ma-

gnopere variant, tractamen ipsum secundum has instituendum varium erit.

3. Tandem et morbi effectus tollantur, illius reditus praecaveatur, statusque reconvalescentiae rite moderetur.

Maximum et gravissimum medici conamen esset, hunc morbum praevertere, et plenariam illius eruptionem impedire; ast quum aegritudines huic morbo praecedentes tantopere differunt, ut plus fallaces sint, quam ut, sub tam dubiis signis, nisi haematuria jam saepius comparuerit, hoc malum instans supponere, et sub diversa conditione morbosa, quae vasorum systemati subesse potest, medendi methodum firmam cum verisimilitudine quadam superstruere liceret.

Quod primum; utut gravissimum indicationis partem, quod causae scilicet remotae auferantur, attinet, haec non ubique praesente jam haematuria statim expleri potest, quum harum aliae sint, quae non statim, aliae vero, quae nunquam tolli possunt, ubi omnes medici conatus eo dirigantur, ut sanguinis profluvium, quantum fieri potest, imminuatur et sistatur.

Remotis causis occasionalibus, ubi in potestate medici est, morbus ipse adgrediendus erit, et tractamen secundum characterem eminentem et causas excitantes, quae hoc in morbo tantum valent, moderandum.

Hinc aegro summa corporis et animi quies, ac situs horizontalis suadendus erit, qui levioribus tantum stragulis tectus decumbat, abstineat ab omni cibo et potu organa urinam secernentia excitante; a diureticis, potibus aromaticis, praecipue vero a venere, sitim fallet mucilaginosis, cibos solidos vitet, sumat nutrimenta mucilagine potiora, orizam, Sago, Salep, jura carnium digestu facilia.

Haematuria characterem inflammatorium aut erethisticum offerens, quae licet raro occurrens in nephritidem, aut cystitidem, tamen negari nequit, apparatum antiphlogisticum, gradui morbi respondentem, desiderat. Hinc, si vehementia mali postulat, venae sectio erit instituenda, aut hirudines adplicandae. Interne exibentur eccoprotica, acidula refrigerantia: Tamarindi, Manna, aerum lactis tamarindatum; clysmata emollientia, potus vero mucilaginosi sive aciduli. Monent tamen medici, ne sales neutri porrigantur aut nitrum, a quo magnopere timent; quod tamen alii secundum experientiam sua praestitisse salutifera contra morbum rebellem confirmant. Externe juvant cataplasmata emollientia calida.

Haematuria quae motus corporis vehementiores aut activos aut passivos sequitur, vel quam potus spirituosi induxerunt, non minus saepe totum postulat apparatum antiphlogisticum, ut et

venae sectio nonnunquam in suo sit loco. Ad remedia interne exhibenda numerant: oleosa, Salep, Gummi Arabicum et Gummi Tragacanthae.

Remedia eadem postulat haematuria calculis renalibus vel vesicalibus inducta, et illa quoque, quae anomalias Arthritidis, aut Rheumatis agnoscit, quibus tamen sapientia praecipue Opium, extractum Hyoscyami, aqua calcis vivae cum lacte, Kali et Natrum carbonicum, aquae acido carbonico potentes circumstantiis postulantibus adduntur. In Rheumatis et Arthritidis complicationibus praeter remedia dicta etiam sinapismi, vesicantia, balnea calida, diaphoretica, pulveres Doweri et Antimonialia in suo ~~unt loco. Quam vero diuretica acria produxerunt, haematuria praeter venae sectionem aut hirudines, si haec morbi vehementia postulantur, emulsiones desiderat mucosas, ex amygdalis aut oleo, decoctum Salep vel Althaeae, Gummi arabicum, Opium; externe laudant cataplasma emollientia cum Croco et herba Hyoscyami, inunctiones ex oleo Hyoscyami et Chamomillae, et clysmata cum Opio, sub qua si Cantharidum usu producitur, emulsionem cum Camphora praecipue laudant.

Mictus cruentus, qui ex suppressis haemorrhoidibus aut fluxu menstruo retento originem ducit, characterem erethisticum praeseferens,

methodum antiphlogisticam desiderat mitiorem, cum sopientibus saepe conjunctam. In genere illa quae sub baematuria ex diureticis acribus inducta enumerata sunt remedia, etiam huic respondent, nisi quod fluxus sanguinis suppressus praecipuam medici attentionem mereatur, quem sollicite restituere adnitatur.

Si morbus, de quo sermo est, statu putrido aut paralytico producitur, his obviam itur: hinc in febri putrida, exanthematibus malignis, scorbuto hi ipsi morbi sanari adnituntur, qui si redeunt, haematuriam sua sponte silere faciant: si verum malum hocce ex topica magis vasorum resolutione procedit, illa in usum trahenda erunt, quae tonum ammissum vasis reddunt, et novum illis robur conciliant: hinc acida mineralia, infusum Hederae terrestris vel ejusdem succus expressus, extractum millefolii, folia uvae ursi in pulvere, Allumen cum Cinnamomo, decoctum Chinae et corticis Simarubae cum tinctura Cinnamomi, gummi Kino, ferrum sulphuricum suum tenebat locum.

Si profluvium sanguinis adeo vehemens est, ut periculum minetur, medicus ejusdem silentium prae ceteris intendit, externeque adplicat fomenta frigida ex aceto et aqua, quibus glacies, aut nix additur: aquam vulnerariam Thedenii, pastam ex pulvere corticis Quercus cum Al-

lumine et vitello ovi, sinapismos et vesicantia ad regionem renalem.

Sunt symptomata quaedam morbum concomitantia, contra quae prae ceteris medicus agere cogitur. Ad haec pertinent: spasmi vehementes, dolores et tensionis sensus in regione renali, uretherum aut vesicae; dysuria et ischuria spasmodica, quae praeprimis sensibilitate nimia harum partium provocantur. His obviam eunt: oleosis, mucilaginosis, quibus pro necessitate Opium additur aut Digitalis. Externe laudantur balnea calida, cataplasmata emmollientia calida, inunctiones ex unguento volatili cum oleo Hyoscyami, cum Camphora vel Opio, vapores perinaeo admissi, qui momento saepe citius spasmos solvunt, et urinae fluxum expediunt, qui ex eo quoque summi sunt momenti, quum catheteria adplicatio sat saepe spasmo ipso impeditur.

Dolores nimii qui ex vasis vesicae et intestini recti inflammatis prodeunt, adplicatione hirudinum ad perinaeum circa anum sat cito auferuntur.

Casus magnopere timendus, qui symptomatibus illum concomitantibus ad summum saepe culmen morbi vehementiam extollunt, sanguis coagulatus est, in vesica retentus. Hic saepe vesicae orificium occludens, urinae recessum retinens dysuriam et ischuriam diram provocat, quae sine mora

catheteris adplicationem expostulat, qui tamen summa cum circumspectione ingerendus erit, ne forsan varices circa collum vesicae praesentes laedantur, et malum grave exasperetur. Sanguis coagulatus injectionibus aquae calidae feliciter saepe solvitur, et per catheterem, qui per longius tempus in urethra reliquendus erit, cum urina simul evacuatur.

Morbo devicto, eo adnitatur medicus, ut organa labefactata, quantum fieri potest roboret, hoc enim modo optime recidivae praecaventur, et calculorum formatio retinetur. His adnumerantur usus lactis, praeprimis asinini, aut ejusdem seri protractus, qua methodo Burserius haematuriam sanavit; aquae ferro et acido carbonico potentes aut merae aut lacte remixtae: inter has aquae Selteranae, Vilnanae, Pyrmontanae; usus Corticis chinae, uvae ursi, ligni Campechiani, usus vini non acidi moderatus, sicuti sunt vina Hungarica et Rhenana.

Aeger vitet omnem causam occasionalem, quae morbi recidivas provocare valet, omnem motum passivum sive equo sive curru, nec ambulet usque ad defatigationem, et exestuationem majorem: prae reliquis vero timeat omnem cibum aut potum diureticum, et partium genitalium per venerem irritationem.

Urethrorrhagia easdem saepe causas agnoscens

cum haematuria eundem characterem praesefe-rens, nil aliud proprium gerit nisi locum diversum; hinc etiam therapia sub aequalibus circumstantiis non alia instituenda erit, nisi illa, quae sub haematuria exposita est: hic igitur solummodo illi casus exponendi erunt, in quibus illa ab hac differt.

Urethrorrhagia, quae saepe blennorrhoeam graviorem sub stadio inflammatorio comitatur, methodum requirit antiphlogisticam, ut igitur hirudines, emulsiones, potus diluentes mucilaginosi et clysmata desiderentur. Ab usu tamen sopiente Opii dissuadent medici, ut quod erectiones saepe nocivas provocat.

Quam vitia organica movent, stymatosis remedia interna et externa expostulat bis ipsis opposita; corpora peregrina vero, quae forsan in urethram impulsa sunt, manu chirurgica amovenda erunt.

Sunt tamen remedia externa quaedam sub stymatosi adhibenda, quibus in casibus superius expositis locus non conceditur. Trahuntur haec in usum, si vel quantitas sanguini profluentis uberior est, aut si morbus vasorum paralysi, gangrena, ulceribus mali moris, causis traumaticis producitur. Inter haec praestant balnea aquae frigidae vel solius, vel cum aceto, ejusdem fomenta peni, scroto et perinoeo imposita, injectiones frigidae ex

solutione plumbi acetici, Alluminis, vitrioli Zinci, acidorum mineralium dilutorum, Aquae Goulardi: ipse saepe spiritus vini aqua dilutus suum praestat remedium.

Sanguinis profluvium hisce remediis non cedens compressionem saepe postulat ita institutam, ut catheter elasticus urethrae immittatur, externe vero penis fascia ligetur, ut vasa sanguinem plorantia comprimantur. Suadent etiam orificium urethrae comprimere, donec sanguis in urethra coaguletur.

Convalescentia easdem postulat cautelas, quas haematuria ipsa, ut igitur omnia illa vel agenda vel citandu erunt, de quibus superius sermo fuit.

Haec sunt quae de Haematuria dicenda mihi erant. Probe quidem memini plurima hujusce opusculi momenta non pro dignitate rei a me pertractata esse. Sed quod a tyrone perfectum sperare poterat opus? Non ambigo munus auctoris, sed Legi Academicae tantum satisfacturus ad hoc scribendum accessi. Quod si tamen aliqua ex his redundare posset utilitas, assequntum me esse votum meum gratulabor mihi.

THESES DEFENDENDAE

I. Defectus crustae inflammatoriae in sanguine emisso, venae sectionem instituendam non semper vetat; illius vero praesentia non ubique istam postulat.

II. Venae sectiones in arthritide acuta non sunt spernendae.

III. Functione respirationis turbata, turbatur quoque hepatis functio.

IV. Datur magnum discrimen inter febrim puerperalem, et metritidem in puerpera.

V. Vermes intestinales e textu celluloso enascuntur.

VI. Inoculatio morbillorum immerito negligitur.

VII. Blennorrhoea syphilitica absque mercurio sanari potest.

VIII. Diarrhoea saepe purgantibus sanatur.

IX. Electricitas magnum influxum exerit ad catamenia movenda.

X. Morbus haemorrhoidalis, ad ipsum fluxum haemorrhoidalem se habet uti totum ad partem.

XI. Ab examine aegri rite instituto, diagnosis recta pendet.

XII. Contra morbos haereditarios educatio juxta optimam prophilaxim summum praesidium.